

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis**

**Jonston, Jan**

**Amstelodami, 1661**

**Caput XXXI**

**urn:nbn:de:bsz:31-97032**

similes diceret. Accessit oris & oculorum convulsio, atque acutissimus mandibularum dolor. Quare saepius manibus affectas illas partes perstringebat, veritus ne excederent. Fortinsecus turgentes oculi, livida facies, & nigra labra cernebantur: quin etiam ventris tumor videri poterat, perinde ac hominis aqua intercute laborantis: Varia admodum exitit arteriarum pulsatio, & varia quoque mentis perturbatio, pro symptomatum recurrentium acerbitate. Nam jam prorsus de vita desperare, mox in spem se erigere videbatur, modo rationis compos, modo delirans, nunc ploranti, nunc cantanti similis. Toto hoc tempore se ter exacerbatum, terque cum mortis agone colluctatum affirmat. Lingua tamen constitit, nullo unquam symptomate affecta. Haecenus *Mathiolus*. Hac vero omnia, lapide *Bezoar* praebito, septima post assumptum venenum hora, evanuere.

## CAPUT XXXI.

DE NYCTEGRETO, NU-  
biæ Grano, Nuce Moschata,  
Olea & Opio.

**N**yxegretum inter pauca miratus est Democritus, caloris ignei, foliis spinæ, nec à terra se attollentem. Erui post æquinoctium vernum radicibus, siccarique ad Lunam triginta diebus, ita lucere noctibus, *Plin. l. 21. cap. 11. ait.* Vocatur & *Chenomychon*, quoniā anseres à primo ejus conspectu, expavescunt. In Nubia, quæ est A thyopia sub Ægypto, granum est, quod devoratum expellit animantes vita. Decima pars intra horæ quadrantem interficit. *Scalig. exere.* 153. f. 11. In Baudan Insulâ Moluccarum nascitur *Nux Moschata*, è calice pro testa tegitur; obducitur tota, ubi maturuerit. Sub primo nucamento, non statim testa qua nucleus continetur, sed cutis coriacea, quam vocant Arabes *Macin*. *Olea*, si primo germinatu de-

depascatur à capra, adeo sterilescit, ut nullo modo prolificā reddatur: at si alia de causa, nudatas earum radices, à circumstante terra hybernis algotibus opponere certissimum est remedium. *Plin. lib. 17. c. 24.* Olea & quercus ita dissentunt, ut una prope alteram depacta, brevi tempore intereat. Amurca olei calce permista, si parietes & laquearia incrustentur, non modo contraictos & adventitios collachryment humores; sed nec blattas vel araneas ferunt. *Mathiol. in Diosc.* Floret mense Iulio, floribus albis racematis prodeuntibus, à quibus bacca primum virides, appropinquante maturitate pallescunt; tandem purpuræ prius factæ saturatae nigrescent. Decerpuntur Novembri & Decembri; sternuntur mox in pavimentis, donec rugosæ fiant; dein molæ supponuntur, torcularibus affusa ferti aqua premuntur; ita oleum reddunt. Ligni materies ardet viridis perinde ac sicca. *Megarus diu stetit Oleaster in foro, cui viri fortes affixerant arma, que cortice ambiente, etas longa occultaverat.* Fuitque arbor illa fatalis excidio urbis præmonita oraculo, cum arbor arma peperisset: quod succisa accidit ocreis galeisque intus reperti. *Plin. lib. 16. cap. 39.* Durat olea annis ducentis *Plin. lib. 16. c. 44.* Opium succus est ex papavere albo leviter vulnerato collectus, postquam capita protruerit. Lactis aliquot emituntur guttae, post paulatim concrescent. Vis illius soporifera: tamen, & aliquot drachmis innoxie sumitur. Quatuor à Lyside sumptæ (*Mercur. l. i. de venen. c. 6.*) quotidie summo calore ab Hispano. Incredibile fere quod *Gargias* refert, decem singulis diebus quandam comedisse, aptissime simul de rebus dissenseruisse. Consuetudinis ex eo vis ingens. Intermisso quippe usus eam ipsa horâ deliquio afficit, qua ante sumebatur, nec ullum remedium nisi ad confuetudinem redire. *Christoph. a Costa de Opio Ægyptiis Amfiam, Turcis Maflach dicitur, de quibus antea.*

CA-